

INCIPIUNT DECRETA FELICIS IIII^{ti} PAPAE

DILECTISSIMIS FRATRIBUS OMNIBUS episcopis per diversas provintias 1
constitutis, Felix episcopus in Domino salutem.

5 *Magno munere misericordiae Dei totius ecclesiae catholicae multiplicata sunt* 2
gaudia, cum ecclesiarum status eo viget ordine, quo apostolicorumque successo-
res illum statuerunt. Et cum antiqui hostis astutia eum turbari cognoscimus, non 275v
modico contristamur merore. Quam ob causam, fratres, hortamur vos, monemus,
et flagitamus, ut a tramite apostolicae institutionis nequaquam recedatis; nec a
capite dissideatis, sed fidem et ordinem, quem apostoli et apostolici viri statuer-
10 *unt, absque haesitatione teneatis. Nam si columnae alicuius magnae domus ruer-*
int, ipse postea domus minime stabit; sic et vos, qui COLUMNAE ecclesiae estis, si
labefactari coeperitis, sancta ecclesia, quae per vos regitur, tabescit et labitur.
Haec, fratres, quae dico, valde timenda sunt, et summo moderamine pensanda,
atque ne fiant cavenda. Ipsa enim per se veritas ait: Vos estis sal terrae; quod si
15 *sal evanuerit, in quo salietur? Et cetera.*

Ideo, carissimi, vos moneo, quia debitor sum vobis, et valde vos diligo, et 3
quando bona audio de vobis, nimis sum gavisus; et econtra, quando mala, nimis
conturbatus. *Ego vero, quamvis a vobis per longa terrarum atque maris inter-*
valla disiunctus sim, sum tamen omnino vobis corde coniunctus, idque de vestra
20 *beatitudine erga me modis omnibus confido, quia, cum me vicissim diligitis, a me*
longe non estis. Unde magis gratias referimus illi grano sinapis, qui ex modici
dispicabilisque seminis spetie, ita ramis ex eadem radice surgentibus atque se
distendentibus usquequaque diffusis, ut in eis volatilia caeli cuncta nidificent.
Gratiaeque fit fermento illi, quod tribus ferme satis, totius humani generis mas-
25 *sam in unitate conspersit; atque parvo lapidi, qui abscisus est de monte sine ma-*
nibus, occupavit universam faciem orbis terrae. Qui ad hoc se usquequaque dis-
tendit, ut omni humano genere in unitate redacto otius corpus perficeretur eccle-
siae, atque ita ad totius conpages pertineret commodum membrorum partialis
ista distinctio. Unde nos quoque nobis longe non sumus, quia in illo, qui ubique
30 *est, unum sumus. Agemus ergo ei gratias, qui solutis inimicitiiis in carne sua fecit,*
ut in omni orbe terrarum unus esset grex, et unum ovile sub se uno pastore, sem-
per memores quid nos veritas praedicator ammoneat dicens: Solliciti servare in
unitatem spiritus in vinculo pacis.

Scripta sanctitatis vestrae, quae ad sedem apostolicam misistis super quibus- 4
dam consultis, quasi ad caput, ut inde acciperetis responsa, unde omnis ecclesiae
35 totius religionis sumpsit exordium, gratanter suscepti et breviter vobis respondere
curavi.

1 IIII^{ti}] added above line 15 Et cetera] ecce terra 29 qui] omitted

4–5 Magno ... cum: Leo I, J3 1013 (Q/H), ed. Schwartz, ACO 2.4 p. 55 l. 8–9 7–8 vos ... tramite: see
Siricius, J3 605 (Q/D/H), ed. Zechiel-Eckes, Erste Dekretale p. 86 l. 23–24 8–9 nec ... dissideatis: Leo
I, J3 918 (Q/D/H), ed. Migne PL 54 col. 676 11 columnae: Paris 829 1.4, ed. Werminghoff, MGH
Conc. 2.2 p. 611 l. 5 14–15 Vos ... salietur: Matt 5.13 16 debitor sum: Rom. 1.14 18–33 Ego ...
pacis: Gregory I, J3 2412, ed. Norberg CCSL 140 p. 322 l. 42–62 32–33 Solliciti ... pacis: Eph.
4.3 34–35 ad ... caput: see Innocent I, J3 722 (D/H), ed. Migne PL 20:603

4–33 Magno ... pacis: Also in J3 †268, Pseudo-Sixtus II 11 columnae: BL 1.315

QUOD MISSARUM CAELEBRATIO NON ALIUBI QUAM LOCIS IN DEO
DICATIS DEBEANT FIERI, NISI MAGNA COMPULERIT NECESSITAS

- 5 DE ECCLESIARUM ENIM CONSECRATIONE et de missarum caelebrationibus, non aliubi quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus sunt nota Novi ac Veteris Testamenti praecepta. Tabernaculum vero Moysen Domino praecipiente fecisse et sacrasse cum mensa et altare eius et ceteris vasis et utensilibus ad divinum cultum explendum legimus; et non solum divinis praecibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei unctione Domino iubente perlinisse novimus. Qualiter autem haec facta sunt, et non alii ipsa sacra quam sacerdotes sacra unctione delibuti, Domino quae cum vestibus sanctis sacrati, et laevite tractabant, ferebant, erigebant, et deponebant, in ipsis institutionibus, quae Domino iubente per Moysen conscripta sunt, repperitur. *Qualiter ergo David, regum piissimus, amplificaverit cultum Dei, et templum Domini aedificare voluit, sed propter multum sanguinem quem effuderat prohibitus est, et ipse colligerat expensas, Salomon quae filius eius idipsum quod ipse facere optaverat iubente et auxiliante Deo perfecit, et templum cum altare et reliquae ad divinum cultum peragendum consecravit, in libro Regum inter cetera legitur ita:*
- 6 *Aedificans, inquit Salomon Domino, aedificavi habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum. Convertitque rex faciem suam et benedixit omni ecclesiae Israel. Omnis enim ecclesia Israel stabat. Et ait: Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem nostrum, et in manibus eius perfecit dicens: A die, qua eduxi populum meum Israel de Aegypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israel; ut aedificaretur domus, et esset nomen meum ibi, sed elegit David ut esset super populum meum Israel, voluitque David pater meus aedificare domum nomini Domini Dei Israel, et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo aedificare domum nomini meo, bene fecisti hoc ipsum mente tractans. Verumtamen tu non aedificabis domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse aedificabit domum nomini meo. Confirmavit Dominus sermonem suum, quem locutus est, stetitque pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus. Et aedificavi domum nomini Domini Dei Israel, et constitui ibi locum archae, in qua faedus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de terra Aegypti. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiae Israel, et expandit manus suas in caelum, et ait: Domine Deus Israel, non est similis tui in caelo desuper, et super terram deorsum. Qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo. Qui custodisti servo tuo David patre meo, quae locutus es ei; ore locutus es, et manibus perfecisti, ut haec dies probat. Nunc igitur, Domine Deus Israel, conserva David famulo tuo patre meo quae locutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel; ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me sicut ambulasti in conspectu meo. Et nunc, Domine Deus*

38 QUAM] final letter over erasure 38–39 LOCIS ... DICATIS] IN DEO DICATIS LOCIS before correction 39 DICATIS] added above line DEBEANT] corrected from DEBEAT; and NON added before, erroneously

50 Qualiter ... amplificaverit: see Aachen 836, Jonas Ep. 2.16, ed. Werminghoff MGH Conc. 2.2 p. 752 l. 16 50–54 cultum ... Regum: see Aachen 836, Jonas Ep. 2.15, ed. Werminghoff, MGH Conc. 2.2 p. 752 l. 5–15 56–158 Aedificans ... populos: 3 Kings 8.13–66

80 *Israel, firmentur verba tua, quae locutus es servo tuo David patre meo. Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? Si enim caelum et caeli caelorum capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi? Sed respice ad orationem servi tui et ad preces eius, Domine Deus meus. Audi, Domine, hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui*

85 *aperti super domum hanc nocte et die, super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem, quam orat servus tuus in loco isto, ut exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto, et exaudias in loco habitaculi tui in caelo, et cum exaudieris, propitius eris. Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur*

90 *astrius, et venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in caelo et facies et iudicabis servos tuos, condemnans impium, et reddens viam suam super caput eius, iustificansque iustum et retribuens ei secundum iusticiam suam. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos, quia peccaturus est tibi, et agentes paenitentiam et confitentes nomini tuo, venerint et oraverint et deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in celo et dimitte peccatum populi tui*

95 *Israel, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit caelum et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto paenitentiam aegerint nomini tuo, et ad peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, exaudies eos in caelo, et dimitte peccata servorum tuorum et populi tui*

100 *Israel, et ostendisti eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram, quam dedisti populo tuo in possessionem. Fames, si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut erugo, lucusta, rubigo, et afflixerit eum et inimicus eius portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, cuncta devotatio et inprecatio, quae acciderit omni homini de populo tuo Israel; si quis cognoverit plagam cordis sui et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in caelo in loco habitationis tuae, et repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundum vias suas, sicut videris cor eius, quia tu nosti solus cor hominum filiorum hominum, ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terrae, quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum—audietur enim nomen tuum magnum et manus tua fortis et brachium tuum extensum ubique—cum venerit ergo et oraverit in loco hoc, tu exaudies in caelo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena, ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, et probent, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam aedificavi. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti, et contra domum, quam aedificavi nomini tuo, et exaudies in caelo orationem eorum et preces eorum et facies iudicium eorum. Quod si peccaverint tibi—non est enim homo qui non peccet—et iratus traderis eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, et aegerint poenitentiam in corde suo in loco captivitatis, et conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicens: Peccavimus, inique aegimus, inpie gessimus; et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint, et oraverint te contra viam terrae suae, quam dedisti patribus eorum, et civitatis, quam elegisti, et templi, quod aedificavi nomini tuo, exaudies in caelo, in firmamento solii tui, orationem eorum et preces, et facies iudicium eorum, et propitiaberis populo tuo, qui peccabit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum, quibus prevaricati sunt in te, et dabis misericordiam coram eis, qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. Populus enim tuus est, et hereditas tua, quos aeduxisti de terra Aegypti, de medio fornacis ferreae, ut sint*

115

120

125

130

oculi tui aperti ad deprecationem servi tui et populi tui Israel, et exaudies eos in universis pro quibus invocaverint te. Tu enim separasti eos tibi in hereditatem de universis populis terrae, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando aeduxisti patres nostros de terra Aegypti, Domine Deus. Factum est autem, cum complisset Salomon orans Dominum orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini. Utrumque enim genu in terra fixerat, et manus expanderat ad caelum. Stetit ergo et benedixit omni ecclesiae Israel voce magna, dicens: Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, iuxta omnia quae locutus est; non cecidit ne unus quidem sermo ex omnibus bonis quae locutus est per Moysen servum suum. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque proiciens. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis eius, et custodiamus mandata eius et cerimonias et iudicia quaecumque mandavit patribus nostris. Et sint sermones mei isti, quibusque deprecatus sum coram Domino, adpropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat iudicium servo suo et populo suo Israel per singulos dies, ut sciant omnes populi terrae, quia Dominus ipse est Deus, et non est alius absque eo. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis eius, et custodiamus mandata eius sicut et hodie. Igitur rex, et omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino. Mactavitque hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum xxii millia, ovium centum xx millia, et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel. In illa die sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini. Fecit quippe ibi holocaustum et sacrificium et adipem pacificorum, quia altare aeneum, quod erat coram Domino, minus erat, et capere non poterat holocausta et sacrificium et adipem pacificorum. Fecit autem Salomon in tempore illo festivitatem caelebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Aegypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus et septem diebus, id est quatuordecim diebus. Et in die octava dimisit populos.

7 Iudei ergo loca, in quibus Domino sacrificabant, habebant supplicationibus consecrata, nec in aliis quam in Deo dicatis locis munera Domino offerebant. Si enim Iudaei, qui umbre legis deservebant, haec faciebant, multo magis quibus veritas patefacta est, et gratia et veritas per Iesum data est, templa Domino aedificare et, prout melius possumus, ornare eaque divinis precibus et sanctis unctionibus suis cum altaribus et vasis, vestibis quoque et reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devote et sollempniter sacrare, et non IN ALIIS quam in Domino sacratis AB EPISCOPIS, et non a chorepiscopis, qui saepe prohibiti sunt, NISI, ut praedictum est, SUMMA exigente NECESSITATE missas celebrare, nec SACRIFICIA Domino OFFERRE debemus. ET HOC si summa necessitas agere compulerit, NON IN DOMIBUS, quia in sacris canonibus sacrificia in domibus offerri prohi-

159 habebant] omitted 168 agere] corrected from age 169 offerri] offerre before correction

165–169 in¹ ... canonibus: see Paris 829 1.47, ed. Werminghoff MGH Conc. 2.2 p. 641 l. 14–19

165–174 et² ... necessitate: BL 3.431: ...in aliis sanctorum patrum decretis legitur: ...sacrificia...offerre aut corpus Domini confici nullo modo legimus aut veraciter scimus in aliis locis iuste fieri, nisi in locis Deo ab episcopo dicatis, nisi causa ...summae necessitatis: et hoc non in mansionibus aut in domibus non sacratis, sed in tabernaculis dedicatis ab episcopis, et altaribus a pontificibus sacra unctione unctis et divinis precibus consecratis, et hoc summa ex necessitate. ... Multo enim melius est missas non cantare aut audire quam in locis inlicitis Missas cantare aut audire. ...

170 bita sunt, SED IN TABERNACULIS DIVINIS PRECIBUS a pontificibus dicATIS et in men-
 sis Domino sacRATIS, et SACRA UNCTIONE A PONTIFICIBUS delibutis pro SUMMA,
 ut prefixum est, NECESSITATE, et non pro libitu cuiusquam et pigritia agatur. Sa-
 tius ergo EST MISSam NON CANTARE, AUT non AUDIRE, QUAM IN his LOCIS ubi fieri
 175 non oportet, nisi, ut sepae dictum est, pro summa contingat necessitate, quoniam
 necessitas non habet legem. Unde scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in
 omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.* Et in
 Exodo legitur: *Vos vidistis, quia de caelo locutus sum vobis. Non facietis deos
 argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, et offeretis
 super illud holocausta et pacifica vestra. Oves vestras et boves in omni loco, in
 180 quo memoria fuerit nominis mei.*

Et sicut non alii quam sacraTi Domino sacerdotes debent missas cantare, nec 8
 sacrificia super altare offerre, sic nec aliis quam in praefatis Domino sacraTi locis
 missas cantare, aut sacrificia offerri licet. Si autem, ut legitur in concilio Laudi-
 cense cap. XXVI: *Quod hi, qui non sunt ab episcopis ordinati, tam in ecclesiis,
 185 quam in domibus exorcizare non possunt,* multo magis maioris gradus ministeria,
 nisi ab episcopis, qui ad eos gradus sunt sacraTi, quibus fungi debent vel sacrificia
 offerre licet. Quod autem, ut paulo superius prelibatum est, oblationes in domibus
 offerri non debent, in eodem concilio cap. LVIII, prohibitum habet ita: *Non
 oportet in domibus oblationes caelebrari ab episcopis et presbyteris.* Sollempni-
 190 tates vero dedicationum ecclesiarum et sacerdotum per singulos annos sunt caele-
 brandae ipso Domino exemplo dante, qui ad festum dedicationis templi omnibus
 id faciendum dans formam, cum reliquis populis eandem festivitatem caelebra-
 turus venit, sicut scriptum est: *Facta sunt encenia Hierosolimis et hiemps erat. Et
 ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.* Quod autem octo dierum sint
 195 encenia celebranda, in libro Regum peracta dedicatione templi reperies.

DE ECCLESiarUM VERO SACRATIONUM DUBITATIONE, QUID SIT AGENDUM

DE ECCLESiarUM CONSECRATIONE, QUOTIES DUBITATUR, et nec certa scriptura 9
 nec certi testes existunt, a quibus consecratio sciatur, absque ULLA dubitatione

172 libitu] corrected from libito 174 quoniam] corrected, perhaps to qui (?) 181 alii quam] corrected
 from aliquam 182 sic] corrected from si 183 offerri] corrected from offerre 190 annos] annos
 sollempnitates before correction (sollempnitates expunged)

170–171 in¹ ... sacraTi: see Karoli Magni Capitulare Primum c. 14, ed. Boretius, MGH Cap. 1, p. 46 l.
 8-9 172–174 Satius ... oportet: see Paris 829 l.47, ed. Werminghoff, MGH Conc. 2.2 p. 641 l. 28-29,
 or Relatio episcoporum (829) c. 46, ed. Boretius, MGH Capit. 2 p. 42 l. 1-2 175–176 Vide ... tuus:
 Deut 12.13 177–180 Vos ... mei: Ex. 20.22-24 184–185 Quod ... possunt: Laodicia c. 26 (D), ed.
 Turner, EOMIA 2.2 p. 365 188–189 Non ... presbyteris: Laodicia c. 58 (D), ed. Turner, EOMIA 2.2 p.
 389 193–194 Facta ... Salomonis: John 10.22-23 198–200 quoties ... faciat: see V Carthage c. 6 (H),
 ed. Diez/Rodriguez 3 p. 381 ll. 67-73

198–201 De ... factum: BL 3.391: Placuit ut infantes, quando non inveniuntur certissimi testes, qui eos
 sine dubitatione baptizatos esse testentur...absque ullo scrupulo tempore legitimo baptizari. Similiter et
 de ecclesiis vel altaribus atque consignandis fidelibus, quotiens super his dubitatur, agendum est; id est,
 ut sine ulla trepidatione consecrentur, et fideles confirmentur, quoniam quod non ostenditur gestum,
 ratio non sinit ut videatur iteratum. Carthage V c. 6, as interpolated in the Hispana Corbeiensis:
 Placuit de infantibus quotiens non inveniuntur certissimi testes qui eos baptizatos esse sine dubitatione
 testentur...absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum

scitote eas esse SECRandos, ne talis TREPIDATIO faciat deteriorationem, QUONIAM 200
NON monstratur esse ITERATUM, quod nescitur factum.

- 10 His, frater, testimoniis scripturarum apostolica auctoritas consultis vestris bre-
viter respondisse sufficiat. Vos tamen previdendum est et omnibus praedicandum,
ut illicita non agantur, et Domini praecepta in omnibus conserventur et fideliter
peragantur. Rogamus autem vos, fratres, et dicta apostoli replicamus: *Corripite* 205
inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad om-
nes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est
sectamini in invicem, et in omnes. Semper gaudete, sine intermissione orate, in
omnibus gratias agite. Haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu et in omnibus
nobis. Spiritum nolite extinguere; prophetias nolite spernere. Omnia autem pro- 210
bate; quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. Ipse autem Deus
pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima et corpus sine
querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur.

- 11 Data Kl. Marc. Lampadio et Oresti vv. cc. cons.

205–213 Corripite ... servetur: *1 Thess. 5:14-23* 214 Lampadio ... cons: *Liber pontificalis LVI (Felix IIII), ed. Mommsen, MGH Gesta pontificum Romanorum 1: Liber Pontificalis p. 138 l. 3*

purgatione privari. ... Similiter et de ecclesiis quotiens super earum consecratione haesitatur agendum est, id est ut sine ulla trepidatione consecrentur.